

1.46.3

Imp. Theodosius et Valentinianus AA. Anatolio magistro militum.

Nemo de his, qui in virorum spectabilium ducum officiis militaverint, scholae agentum in rebus quacumque subreptione post completam militiam societur, ne agendi vices viri clarissimi principis accipiat facultatem, si quis autem adversus haec nostrae perennitatis decreta venire conetur, militia spoliatus proscriptiois poena pro parte bonorum tertia constringatur.

D. V k. Febr. Constantinopoli Maximo II et Paterio cons.

[a. 443]

1.46.4

Idem AA. Nomo magistro officiorum.

Duces limitum et praecipue, quibus gentes quae maxime cavendae sunt appropinquant, in ipsis limitibus commorari et milites ad proprium redigere numerum imminentibus magisteriis potestatibus diuturnisque eorum exercitationibus inhaerere praecipimus.

1 ¶ Castrorum quin etiam refectionis clusuriarumque curam habeant.

2 ¶ Quibus cum principe castrorumque praepositis pro laborum vicissitudine limitaneorum militum duodecimam annonarum partem, distribuendam videlicet inter eos magisteriae potestatis arbitrio, deputamus.

D. prid. id. Sept. Constantinopoli Maximo II et Paterio cons.

[a. 443]

1.46.

Ἐ
ἀρκείσθω τοῖς ἐξ ἔθνους σιτηρεσίοις ὁ δούξ καὶ τοῖς ἐκ τῆς δωδεκάτης τῶν ἐκ τῶν πολεμίων ληφθέντων μοίρας ἐν χρυσῷ διδομένης παρὰ τῶν ἐνδόξων ἐπαρχῶν καὶ μηδὲν ἕτερον ἢ κατὰ ἀπαίτησιν ἢ κατὰ ἐκουσίαν τοῦ δίδοντος προαίρεσιν κομιζέσθω.

id est:

Dux contentus sit annonis solitis et duodecima parte eorum quae ab hostibus capta sunt, in auro ab illustribus praefectis solvenda, neve aliud quicquam vel poscendo vel libera dantis voluntate percipiat.